De die natali apud veteres celebrato quaestiones selectae

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Gissensi rite capessendos

scripsit

Guilelmus Schmidt
Darmstadiensis

Hannoverae
in aedibus Berenbergi
1905

Retulit ad philosophorum ordinem

Ericus Bethe

4. XII. 1903

Parentibus

S

Conspectus opusculi.

Libri, in quibus de hac re adhuc agebatur, sunt hi:

Alexander ab Alexandro, genialium dierum libri VI. Parisiis 1561.

Roa, Martin de, de die natali sacro et profano. 1600.

Piccart, Michael, de nataliciis veterum. Bamberg 1603.

Salmuth, H., de natalicio veterum ritu. Ambergae 1619.

Hildebrand, J., de nataliciis veterum sacris et profanis. Helmstedt 1661.

Ouzelius, J., in editione Minucii „Octavii“ Lugd. 1672. p. 60 b — 64 b.

Laurentius, J., de nataliciis conviviisque 1699: in Gronovii thes. antiq. vol. VIII. p. 1438 sqq.

Hoffmann, M. Joh., de variis veterum nataliciis eorumque caerimoniis. Erfurt 1704.

Guetther, H., de conviviis nataliciis. Regimont. 1716.

Schminke, J. H. [de celebratione diei natalis apud veteres] ad orationem Joh. Nic. Funccii Marb. in natalem LXIV. Caroli. Marp. 1717.

Michaëlis, Jo. Gg., de solemnibus veterum nataliciis. Francof.-ad-Viadr. 1728.

Schubert, C. F., de ritibus Romanorum celebrandi dies natales. Helmstedt 1750.

Schoene, Fr. Gotth., de veterum solemnibus natalibus. Halberstadt 1832.

Petersen, Chr., Über die Geburtstagsfeier bei den Griechen, Jahrbb. f. Phil. Suppl. II 1856—57. p. 286 sqq.

Curtius, E., Altertum und Gegenwart 1875. vol. II p. 15 sqq.

Libros ad natales a collegiis celebratos passim spectantes inspexi hos:

Ziebarth, E., Das griechische Vereinswesen. Leipzig 1896.

Mommsen, Th., de collegiis et sodaliciis. Kiel 1843.

Maué, H. C., Die Vereine der fabri, centonarii und dendrophori im römischen Reich. Frkft. a. M. 1886. p. 39 sqq.

Schieß, Traugott, Die römischen collegia funeraticia. Zürich 1888. Diss. p. 103 sqq.

Liebenam, W., Zur Geschichte des römischen Vereinswesens. Leipzig 1890. p. 247 sq. 255. passim.

Waltzing, J. P., Étude historique sur les corporations professionelles chez les Romains depuis les origines jusqu' à la chute de l'empire d'occident. vol. I—IV. 1895—1900.

Quamquam iam saepius de hac re libellos conscriptos esse conspectu addito apparet, supervacaneum tamen esse non videbatur, in rem iterum ingredi, praesertim cum ei qui adhuc rem tractaverunt partim res summas praeterierint, partim inscriptionibus, quas facillime adire possumus, uti modo neglexerint modo non potuerint.

Caput I.

A Graecis nobis incipiendum. Dies natalis, ut celebrari possit anniversarius, notus esse opus est. Quare antea inquirendum quae Graecis facultas fuerit, diem natalem memoria comprehendendi. Apud Athenienses scimus, quotannis eo festo quod *Ἀπατούρια* vocatur liberos in *φρατρίας* inductos i. e. mense Pyanopsione gennetis praesentibus in *κοινὸν* vel *φρατορικὸν γραμματεῖον* [1]) (Bekk. Anecd. 272, 37. Gilbert, Hdb. d. griech. Staatsalt. I (1881) 187, 3) inscriptos esse (cf. Schaefer, Demosth. u. seine Zeit III 2, 19 sqq. Hermann-Stark, Lehrb. d. Antiq. I^5, § 99, 2 sq). Dissentiunt autem veteres de aetate liberorum: E. M. p. 118, 56 et schol. Luc. Iup. trag. 26 (vol IV p. 279 Jac.) tradunt *ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ* (scil. Apaturiis) *τοὺς γεννωμένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ παῖδας τότε ἐνέγραφον* eqs.; alteri vero, ut schol. Plat. Tim. p. 21 B, Hesychius, dicunt *ἐν ταύτῃ τοὺς κόρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτερας, τριετεῖς ἢ τετραετεῖς ὄντας* [2]).

Quid vero interest, utrum primo anno an tertio quartove liberi indicibus illis inserantur? Erravitne alter auctorum? Viri docti putant, tunc hoc tunc illo modo Graecos egisse (cf. Hermann-Stark l. c. A. Mommsen, Feste d. Stadt Athen im Altertum 1898 p. 333). Platner (Beiträge p. 144. cf. Schoemann, ius publ. Graec. p. 208, 10) censet, gennetas praeiudicio quodam, quo dubitarent de genere infantis, commotos esse, ut impedirent, quominus anno tertio vel quarto nondum consumpto infans in phratrias acciperetur. Alio tamen modo res enucleari posse mihi videtur: puto enim in scholio Timaei Platonici secernendas res esse confusas. Constat adulescentulos, iterum in phratrias

---

[1]) hoc rem inanem esse dicit Wilamowitz, Arist. u. Athen II 276.

[2]) cf. Mettauer, Th., de Platonis scholiorum fontibus, Turici 1880 p. 8. Leop. Cohn: Fleckeis. Jahrbb. Suppl. XIII (1884) p. 799.

inductos esse, id quod et ex E. M. p. 533, 51 [1]) cognoscitur verbisque scholiastae Aristophanis (Ran. 797) qui dicit *ἐάν τις εἰσάγῃ εἰς τοὺς ἰδίους φράτορας υἱὸν ἐν ἡλικίᾳ γενόμενον παρίστῃ αὐτοῖς ἐπὶ ὡρισμένῳ σταθμῷ ἱερεῖον πρὸς ὃν ἔδει προσάγειν κτλ.*, et clarissime ex eis quae Pollux VIII 107 nos docet: *φράτορες· εἰς τούτους τούς τε κόρους καὶ τὰς κόρας εἰσῆγον καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντων ἐν τῇ καλουμένῃ κουρεώτιδι ἡμέρᾳ ὑπὲρ μὲν τῶν ἀρρένων τὸ κούρειον ἔθυον, ὑπὲρ δὲ τῶν θηλειῶν τὴν γαμηλίαν.* Libatio autem, quae et in priore et in posteriore inductione erat, eodem nomine *οἰνιστήρια* vocabatur. (cf. Pollux III 52 et Bethe ad l.). Inducebantur adulescentuli, priusquam eorum indicibus inscribebantur qui stipendia mereri debebant i. e. anno duodevicesimo, eo igitur tempore relicto, quod *ἐπιδιετὲς ἡβᾶν* dicitur aut, cum tertius annus iam consumptus numeretur, *τριετὲς ἡβᾶν*. Quibus vocibus Graeci, ut terminum et tempus significarent, usi sunt; ut Solo (ap. Dion. Hal. ant. Rom. II 26. cf. Schmidt, Chronologie 317) edixit filios in patris potestate esse, *ἕως τρίτον* [2]) *ἐκπληρώσωσιν ἀφ᾽ ἥβης ἔτος*. Quapropter existimo, verba *τριετεῖς ὄντες* quae in scholio Platonis leguntur intellegenda esse de eis qui *τρίτον ἀφ᾽ ἥβης ἔτος* reliquerint; qui error eo facilius oriri potuit, quod verbo ipso *ἔφηβος* Zonara teste *παῖς νέος ἤτοι ἐτῶν ιδ´ ἢ ιη´* a Graecis significabatur.

Sed mittamus haec, quae ut explicaremus adducti sumus commemorantes *φρατορικὸν γραμματεῖον*, in quo dies natalis adnotatus sit; erat autem et alter index. Populo, cuius in vita res militaris tanti erat quanti Atheniensibus omnibusque Graecis, libri non deerant, quibus ei qui arma ferre debebant continebantur; ad delectus instituendos eis utebantur. Fieri non potuit, quin hi *κατάλογοι* ex eis nascerentur tabulis, quibus infantes brevi ante nati inscribi solebant (Schoemann, l. l. p. 205. Gilbert I 300); ita ut postea, nisi *πανδημεί* bellaretur, archontibus eponymis additis ea pars significari posset militum, quibus in bellum proficiscendum erat. Quae ratio belli gerendi vocabatur *στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις*, ut Harpocratio s. v. docet: *χρῶνται δὲ τοῖς ἐπωνύμοις καὶ πρὸς τὰς στρατείας καὶ*

---

[1]) *τῇ τε τρίτῃ τοὺς κόρους εἰσάγουσιν εἰς τὴν ἑορτὴν καὶ συνιστᾶσι τοῖς συγγενέσι καὶ γνωρίμοις, καὶ ἐγγράφουσιν εἰς τὴν πολιτείαν.* Quae verba ad adulescentem non infantem spectant: cf. C. Fr. Hermann., in: Zimmermanns Zeitschr. f. d. Altertumswiss. 1835 p. 1141 sq.

[2]) sic libri; *δεύτερον* Kießling. in editione (a Buechelero monitus).

ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσι προγράφουσιν, ἀπὸ τίνος ἄρχοντος ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι[1]). Valde doleo, quod frustra studui cognoscere, quo ex tempore huius modi *κατάλογοι* in urbibus fuerint; neque vero dubitari potest, quin iam satis antiquis temporibus instituti sint.

Cum vero hac in re testimoniis careamus, illud tamen locis scriptorum additis firmare possumus, saeculo a. Chr. n. sexto homines diem quo nati erant memoria complecti potuisse, certe annum natalem; recte vero censebis difficilius esse annum memoria custodire quam diem.

Ut exempla ipsa afferam:

Xenophanes scire videtur, qui annus sibi fuerit quintus et vicesimus: cf. fr. 8 Diels. P. Gr. Fr. VI.

ἤδη δ᾽ ἑπτά τ᾽ ἔασι καὶ ἑξήκοντ᾽ ἐνιαυτοί
βληστρίζοντες ἐμὴν φροντίδ᾽ ἀν᾽ Ἑλλάδα γῆν·
ἐκ γενετῆς δὲ τότ᾽ ἦσαν ἐείκοσι πέντε τε πρὸς τοῖς,

pergit tamen *εἴπερ ἐγὼ περὶ τῶνδ᾽ οἶδα λέγειν ἐτύμως.*

Postea autem Simonides annum vitae octogesimum commemorat anno Adimantis, i. e. anno 476: fr. 147 Bergk:

ἦρχεν Ἀδείμαντος μὲν Ἀθηναίοις, ὅτ᾽ ἐνίκα
Ἀντιοχὶς φυλὴ δαίδαλεον τρίποδα·
Ξεινοφίλου δὲ τόθ᾽ υἱὸς Ἀριστείδης ἐχορήγει
πεντήκοντ᾽ ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ.
ἀμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἕσπετο κῦδος
ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Huc spectat exemplum et Sophoclis qui Plutarcho teste (an seni 3) Herodoto elegiam misit quae a verbis incipit hisce: (fr. 5 B.)

ᾠδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
πέντ᾽ ἐπὶ πεντήκοντα.

Diem ipsum quo natus est quod quis haud ignorat, testimonio niti possumus vetustissimo Pindari, qui se Pythiis lucem aspexisse gloriatur: fr. 193 Schröder (cf. Plut. qu. conv. VIII 1, 1 ex.): *ἐν τῇ τῶν Πυθίων ἑορτῇ ἐγεννήθη, ὡς δηλοῖ καὶ αὐτὸς εἰπών·*

πενταετηρὶς ἑορτὰ
βουπομπός, ἐν ᾇ πρῶτον εὐνάσθην ἀγαπατὸς ὑπὸ σπαργάνοις.

---

[1]) hanc glossam ex Aristotelis re publica Atheniensium hausit: cf. Wilamowitz., l. c. I 244 sq. adeas praeterea Schoemann., ius publ. Graec. 254. Hermann., Antiq. I § 153, 19. A. Schmidt., Chronol. 311. Droysen., in Hermanni enchiridio antiq. II 2 (Heerwesen 1889) p. 57 sqq. cf. 72 sq. Busolt. in Iw. v. Mülleri Hdb. IV² 1, 1 p. 229. 308; Bauer., ibid. IV² 1, 2 p. 346.

Exempla quae sequuntur ad tempora posteriora spectant: Co in insula dies natalis Hippocratis (med. gr. ed. Kühn vol. XXIII i. e. Hippocr. vol. III p. 851) non neglegitur, quam in rem revertemur. Caveamus tamen, ne Aristophanem poetam quarto mensis die natum putemus quippe qui ab Aristonymo (fr. 6 vol. II 2 p. 699 Mein., cf. hist. crit. p. 197) et Amipsia aequalibus irrideatur τετράδι γεννηθείς. Erat enim παροιμία ἐπὶ τῶν ἄλλοις μοχθούντων τὸ ἐν τῇ τετράδι γεννηθῆναι, κατὰ τὸν Ἡρακλέα δηλαδή, ὃς μηνὸς τετάρτῃ γεννηθεὶς ἄλλοις ἦθλει (Philoch. fr. 177 FHG I 413. cf. Menandri rell. ed. Meineke p. 110), quod proverbium valet, quibuscumque diebus οἱ ἐπὶ ἄλλοις μοχθοῦντες nati sunt. Quarto saeculo et eis quae sequuntur exempla augentur: ad illud natales Platonis [1] Timoleontis Epicuri pertinent, ad tertium Arati Sicyonii, ad secundum Cratonis cuiusdam, de quibus omnibus infra disputabimus. Sed testimonia ad saecula ante quartum spectantia praeter ea quae attuli invenire non potui; et apparet haud saepe occasionem diei natalis commemorandi auctoribus dari.

Eadem de causa eruere non possumus, quibus temporibus diem natalem Graeci celebrare coeperint. Vetustissimum testimonium Aeschylo debemus, qui (Eum. 7) narrat, Apollinem die eo quo natus esset oraculum dono natalicio a Phoeba accepisse; si talia ludere illi licuit, fieri non potuit quin saeculo a. Chr. n. quinto medio vel ineunte Athenis dies natalis actus esset; sed quanto ante hanc aetatem diem iam observaverint, non liquet.[2] Post Aeschylum Herodotus I 133 et Xenopho cyrop. I 3, 10 Persarum γενέθλια commemorant, neque addunt, hoc festum a Graecis neglectum esse.

Testimonia dierum natalium hominum celebratorum posterioris aetatis sunt. In tragoediis nulla inveniuntur, quantum video.[3] In Aristophanis comoediis natalicia hominum celebrata non commemorantur, sed in fabulis comoediae novae, quae

[1]) Num ea quae de Socratis die natali traduntur (Plut. qu. conv. VIII 1, 1. cf. infra p. 26) vera narrentur, juste dubitatur.

[2]) cf. infra p. 11.

[3]) Quod Petersenus l. c. p. 349 coniectura commotus ex scholio AD. Iliadis VII 44 colligere posse sibi videtur, in tragoedia quadam fortasse diem natalem commemoratum esse, hoc ferri non potest; eo praecipue, quod argumentationem imprimis subscriptione ἡ δὲ ἱστορία παρ' Ἀντικλείδῃ firmare studet, dubitationes maximae moventur. nam quid de talibus subscriptionibus plerumque iudicandum sit, Schwartzius (Fleckeis. Jahrbb. Suppl. XII [1881] p. 403 sqq.) demonstrat.

vitam privatam respexit, ex quibus Plautus et Terentius comoedias composuerunt. Quamquam plerumque argumentis firmissimis demonstrari non potest, illos versus in quibus natalis diei mentio fit[1]) exemplo Graeco ipsi infuisse, veri tamen est simillimum. Sed licet quisquam hoc non concedat, hoc tamen contendi non potest, Plautum in Pseudolum diem natalem induxisse: natalis enim lenonis tam arte cum re ipsa ut agatur coniunctus est, ut contextu rerum non deleto seiungi non possit; exemplar ipsum annis 309 aut 308 adscribendum est. (cf. Wilamowitz, Antig. v. Karystos, Berl. 1881, p. 140 adn. 13.) Post haec tempora natalis a Graecis celebratus saepius occurrit.

Caput II.

Herodoto II 82 iudice sententia ab Aegyptis ad Graecos pervenit qua censerent, naturam uniuscuiusque hominis effici natura et genere eius dei, cuius die natali natus sit, qua sententia, quae in proverbio paulo supra allato nobis occurrit, poetas praecipue uti dicit. Quos locos poetarum quibus haec ipsa opinio praebeatur quamquam non habemus, servati tamen sunt alii poetarum versus ante Herodoti aetatem compositi, quibus natales deorum commemorantur, Hesiodi scilicet et hymni Homerici tertii in Mercurium. Ille enim scit, Apollinem septimo die natum esse (op. et d. 771); praeterea audivit, quo mensis die Horcum Eris peperit (ibid. 803. cf. Hirzel, Der Eid 142. 169, 3):

ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον γεινόμενον, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

Mercurii vero natalem ex hymni dicti versu 19 comperimus:

τετράδι τῇ προτέρῃ, τῇ μιν τέκε πότνια Μαῖα.

Quamquam versus huius carminis inde a septimo decimo usque ad undevicesimum huic certe loco non apti sunt, antiquioris aetatis testimonium in bipartiti mensis die significando prae se ferunt. Sed quocumque modo de his versibus iudicandum est, Hesiodi certe carmine apparet, septimo a. Chr. n. saeculo deorum natales haud ignotos fuisse. Suntne vero acti eadem aetate? erantne exemplo natalibus hominum celebrandis,

---

[1]) Plaut. Capt. I 2, 70 = 174. Curc. V 2, 53 = 653. Epid. V 1, 33 = 639. Pers. V 1, 17 = 769. Rud. IV 4, 101—127 = 1144—1171. Ter. Phorm. 48

an secundum hosce ipsi instituti sunt? Maximae his in quaestionibus solvendis nobis obstant difficultates, propterea quod testimonia auctorum fere nulla sunt quibus de illis temporibus certiores fiamus, et vix ullo loco planis verbis dicitur, festum quoddam illius aetatis diei natalis causa deorum agi.

Quos dies priscis temporibus iam observatos esse contendere nobis liceret, si contingeret ut demonstraremus, Thargelia, quae pervetustum Ionum festum fuisse nemo nescit, natalicia Apollinis a primordiis fuisse. Sed quomodo illud, quod *φαρμακούς*, quos ficis alterum albis, atris alterum indutos, postquam extra urbem duxerunt, saxis depellebant, ad diem natalem pertinere putas? Cogitari non potest, eos qui hunc usum instituerint Apollinis natalem celebrare voluisse.[1]) Quod *πομπή* et *ἀγών* quo *κύκλιοι χοροί* Athenienses certe certabant Thargeliis erant (A. Mommsen, Feste 481), ex eo de die natali quicquam colligi non potest. Imprimis tamen illud maxime mirandum est quod apud Diogenem Laërtium (Apollodoro auctore) III 2, quo loco Platonem Atheniensem septimo die Thargelionis mensis natum dicit, hoc tantum additur, eodem die Apollinem lucem aspexisse putare Delios, de Atheniensium autem in hac re sententia tacet.[2]) Sed ut fabula, quae ad Apollinis ortum pertinet, in Graecia ipsa antiqua non est (quod Preller-Robert, Gr. Myth. p. 235 demonstrarunt), ita Atheniensium de die natali Apollinis opinio. Vel ex eo quod mensis nomen quo natus sit additur posteriora tempora sentire nobis videmur; nam Hesiodus diem solum commemorat, eademque valent de Mercurio. Sed etiam alii dies Apollinis sacri putantur et celebrantur: ut *νουμηνία* Homeri iam temporibus[3]), ita postea *διχομηνία* i. e. dies 14 vel 15 (Plut. Dion. 23; Roscher, Apollo u. Mars 23 sq.; Unger, in Iw. Mülleri Hdb. I² 726) et dies vicesimus: E. M.

[1]) Wilamowitzius (Hermes XXXVIII [1903] 581) putat, Thargelia primum ad *Θαργήλιον* deum spectasse et tum denique hunc deum Apollini adaequatum esse.

[2]) Notandum est, Thargelionem Deliorum et Atheniensium non solum nomine sed etiam anni tempore ipso sibi respondere. cf. BCH V (1881) p. 27.

[3]) cf. *υ*. 155: *οὐ γὰρ δὴ μνηστῆρες ἀπέσσονται μεγάροιο*
ἀλλὰ μάλ' ἦρι νέονται, ἐπεὶ καὶ πᾶσιν ἑορτή
ubi scholiasta: *τὴν νεομηνίαν πάντων τῶν θεῶν νομίζουσιν εἶναι .... τοῦ δ' Ἀπόλλωνος ταύτην εἶναι νομίζειν τὴν ἡμέραν εἰκότως τὸ πρῶτον φῶς τῷ αἰτιωτάτῳ τοῦ πυρὸς, ἐκάλουν τε αὐτὸν καὶ Νεομήνιον.* cf. *φ* 258. *ξ* 162. *τ* 307.

p. 298, 1: *ἐν τῇ εἰκάδι τοῦ μηνὸς ἑορτὴ ἐπετελεῖτο τῷ Ἀπόλλωνι. ἐπειδὴ οὖν ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ ἐγεννήθη, λέγεται Εἰκάδιος.* (cf. Thumb, Zeitschr. f. deutsche Wortforschung I 164.)

Quibus rationibus adducimur ut censeamus, Thargelia non ex initio natalicia Apollinis, sed temporibus haud ita antiquis hic illic putata esse.

Cum autem et in aliis nataliciis certe affirmare non possimus, quibusnam temporibus primum acta sint, coniecturas proferamus necesse est, quas ex hymno in Apollinem Delium Homerico faciamus. Quo in hymno cum deus natus celebretur, recte putabimus, diem natalem tum non solum haud ignotum sed etiam non neglectum fuisse, ita ut octavo septimove saeculo actus esse videatur. Quibus temporibus eisdem vel potius iam antea hominum natales iam celebratos esse quamquam demonstrare non possumus, veri tamen est simillimum. Nam conicere licere nobis videtur, homines qui deos omni modo ex sui ipsius exemplo atque effigie finxerunt[1]), id quoque ad eos transtulisse, quod eorum natales simili modo ac suos observarent.

Quae deorum natalicia confundenda non sunt cum eis festis quibus *ἐπιδημίαν* dei agebant. Observabant enim Delii eum diem quo deus vere ineunte ex Hyperboreorum regionibus quotannis rediit; sed adulti dei est reditus, non adventus infantis modo geniti[2]): quod optime vel ex eo cognosces, quod Delii Apollinem natum putabant septimo die Thargelionis, redeuntem tamen septimo die *Ἱεροῦ* mensis, qui respondet Atticorum Anthesterioni (Preller-R. 245, 4. 265): quo in nomine ipso vulgari (in mense s a c r o, nihil aliud primum sibi voluit) testimonium esse videtur eius rei quod haec opinio fortasse antiquior erat quam altera qua de deo nato utebantur.

Delphi eum diem quo Apollinem (eodem modo quo Delii) ex Hyperboreorum regionibus revertentem sibi finxerunt, ex Deliorum exemplo elegerunt, reditum eius ponentes in die septimo *Βυσίου* mensis qui *Ἱερῷ* mensi Deliorum tempore respondet (BCH XIX [1895], p. 66 sq.). Sed diem *θεοφάνια* (vel *ἐπιφάνια*) nominant, non *ἐπιδημίαν θεοῦ*, postea autem

[1]) Arist. Pol. I p. 1252 b 26: *ὥσπερ δὲ καὶ τὰ εἴδη ἑαυτοῖς ἀφομοιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τοὺς βίους τῶν θεῶν.*

[2]) similes sententiae de Dionysio valent quem ut revertatur vocant: cf. Preller-Robert, gr. Myth. 695.

(tempore nescio quo) eidem diei *γενέθλια* eius imponebant, ut Plutarchus (quaest. gr. 9) dicit: *καὶ ἑβδόμην ταύτην* (scil. *Βυσίου μηνός*) *νομίζουσι τοῦ θεοῦ γενέθλιον*. Qua aetate primum *ἐπιφάνια* eadem esse ac *γενέθλια* putaverint, erui posse non videtur. Quinto tamen saeculo tales sententias valuisse contendere nobis liceret, si Thesea quod vocatur festum *ἐπιφάνια* essent; Theseum enim heroa Athenienses circa annum a. Chr. n. 470 (A. Mommsen l. c. 289, 3) illo festo celebrare coeperunt. Octavo enim Hecatombaeonis die Troezene ex oppido Athenas primum eum pervenisse dicebant (Plut. Thes. 12), eodem autem die Pyanopsionis Creta ex insula (ibid. 36); quem heroa omnino octavo die uniuscuiusque mensis venerabantur, ut Plutarchus (Thes. 36), postquam eum maxime die Pyanopsionis octavo coli dixit, verbis pergit hisce: *καὶ ταῖς ἄλλαις ὀγδόαις τιμῶσιν αὐτόν.* (cf. schol. Ar. Plut. 627: *ταῖς δὲ ὀγδόαις τὰ Θησεῖα ἤγετο*). Quae si ita sunt, *Θησεῖα* vox eodem modo de Thesei theophaniis adhibetur quo *Ἀπολλώνια* de Apollinis. (BCH XIX [1895], 66.) Plura de epiphaniis proferre hoc loco desisto.

Caput III.

Proximo capite iam vidimus, Apollini et Theseo diem septimum vel octavum non solum uno mense sed singulis mensibus celebratum esse; ut omnino apud Graecos haud paucae inveniuntur caerimoniae, quas eisdem diebus mensium singulorum repetebant (A. Mommsen l. c. p. 1 sqq.). Natalem quoque duodecies intra annum agebant, cuius generis celebratio de deis constat, deinde de principibus quos diadochos nominare solemus qui divinum in modum colebantur, ut Ptolemaei et Antiochi qui ipsi *θεοί* vocabantur; quod apud Attalos colendos, quos numquam *θεους* nominatos esse constat, eandem rationem reperimus, hoc ex alterorum cultu sumptum est. Rarius apud privatos hic mos occurrit: certe diem singulis mensibus non neglexerunt, carebat tamen splendore anniversarii; audimus autem Platonis mortui et huius vel illius qui collegium quoddam beneficiis ornavit natalem eodem modo observatum esse. Ad rem pertinere videtur, haec brevi in conspectu subiungere: a deis incipiam; mense non addito nati traduntur

Minerva τῇ τρίτῃ (multis locis e. g. Harpocr. s. v. τριτόμηνις).

Mercurius τετράδι τῇ προτέρῃ hym. hom. in Merc. 19. Plut. qu. conv. IX 3, 2 p. 738 F. schol. Ar. Plut. 1127 et Hemsterh. ad l. taliaque.

Horcus τῇ πέμπτῃ Hes. op. et d. 803.

Diana die sexto mensis Thargelionis nata putatur (Diog. L. II 44. Procl. ad Plat. Tim. III p. 200 D = p. 479 Schneider); sed etiam colitur

6. Boëdrom. ab Atheniensibus: Plut. de gl. Ath. 7. de Herod. malign. 26.
6. Tharg. ab Ephesis: J. T. Wood, Discoveries at Ephesus, Great theatre 1. col. II 3. IV 48 et saepius.
6. Aphrod. a Magnetibus: Dittenberger SIG² 552.

Apollo τῇ ἑβδόμῃ natus (Hes. op. 771); colitur

7. Ἱεροῦ mensis (Preller-R. 245) et Thargelionis (Diog. L. III 2) a Deliis.
7. Thargel. ab Atheniensibus: Plut. qu. conv. VIII 1, 2 cl. VIII 1, 1.
7. Pyanops. ab Atheniensibus: CIA III 77 p. 45 = Leges sacrae edd. Prott-Ziehen p. 7 n. 3, 9. Plut. Thes. 22.
7. Pyanops. ab Eleusiniis: Ditt. SIG² 628, 7.
7. Bysii a Delphis: Ditt.² 438, 70. BCH XIX (1895) 66.
7. Hecatomb. a Myconiis: Ditt.² 615, 30 = Leg. sacrae p. 14, 30.
7. Carnei mensis a Cyrenaeis: Plut. qu. conv. VIII 1, 2.[1])

Neptunus ταῖς ὀγδόαις a Graecis veneratur: Plut. Thes. 36. Procl. ad Hes. op. 788.

e. g. 8. Posideonis ab Atheniensibus CIA III 77, 16.
8. Elaphebolionis a Deliis: Le Bas-Waddington, Voyage archéol. 1915. Foucart, les associations relig. chez les Grecs p. 223 n. 23.

Principes qui hanc ad rem spectant sunt hi:

Ptolemaeus III Euergetes I: Strack, Dynastie der Ptolem. p. 227 n. 38. cf. Schürer, Zeitschr. f. neutestamentl. Wiss. II (1901) p. 48 sqq.

---

[1]) Wernicke (ap. Pauly-Wiss. R. E. II 23) nos mittit ad Libanii decl. V, vol. I p. 336 Reiske (potius 236) quo loco Apollini 7. Artemisionis mensis Antiochiae celebratum reperiri dicit; agitur tamen illo loco de Diana.

Ptolemaeus V Epiphanes: Schürer l. l.; Kornemann, in: Lehmanns Beiträge zur alten Gesch. I (1901) p. 76.
Antiochus Epiphanes: II Macc. 6, 7.
Antiochus I Commagena: Humann-Puchstein, Reisen in Nord-Syrien u. Kleinasien. Berlin 1890. Textbd. p. 274.
Attalus II: Ditt.[1] n. 246. cf. Curtius, Hermes VII 113 sqq.
Augustus a Mytilenaeis: inscr. gr. ins. m. Aeg. II 58 a 20.
a Pergamenis: Fränkel., Inschr. v. Perg. II 262 n. 374 B = Leg. sac. p. 55 sq.

Privati nominandi sunt
Plato mortuus: Gellius, N. A. XV, 2.
Pius quidam (collegio Dionysii ut videtur adscriptus): Le Bas-Wadd. III 90.
Epiphanes, conditor scholae Gnosticorum Cephallensium: Clem. Alex. strom. III 2. cf. infra p. 27.

Caput IV.

Quaerentes iam quomodo diem ipsum quo infans natus sit celebraverint et diem anniversarium, supervacaneum nobis visum est, de amphidromiis[1]) verba facere, praesertim cum semel acta, postea neglecta sint.

Celebrationem die eo quo infans lucem aspexerat splendidissimam non fuisse, re ipsa apparet: ut Plato ipse (Alcib. I p. 121 C) comici verba afferens docet, cum Graecis infans natus sit, vix vicinos hoc animadvertisse; quae quamquam more comici rem verbis augentis dicta sunt contendi tamen potest, caerimonias affinibus solis praesentibus factas esse. Dis sacrificatum esse conicere nobis licet, atque sine dubio amici gratulabantur. Aeschyli certe temporibus mos erat, ut γενέθλιος δόσις a consanguineis divitibus scilicet daretur [2])(Aesch. Eum. 7. et schol.).

---

[1]) cf. Petersen., l. c. p. 287 sqq. Iw. v. Müller., Hdb. IV[2] 1, 2 p. 160 sqq. Addere sufficiat, ἀμφιδρόμια lustrationis causa acta esse; quod optime ex paroemiographo apparet: ἀμφιδρομίαν ἄγεις· λέγεται ἐπὶ τῶν καθαιρομένων (paroem. II 278, 56 Leutsch-Sch.).

[2]) Aegypti ea consuetudine utebantur, ut cum regi filius natus erat optimates dona mitterent, non tamen infanti, sed parentibus: Joseph. antt. Jud. XII 4, 7. cf. W. Drumann., hist.-ant. Untersuchgn. p. 249.

Quem ad usum verba spectant Hesychii qui (ex eiusdem grammatici glossa, qua is qui lex. Seguerianum V [Bekk. Anecd. 231, 17] composuit utebatur) s. v. γενέθλια docet, haec esse τὰ ἐπὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ δῶρα: apparet primum diem esse eum quo quis nascitur.

Quin etiam servorum postea fuisse videtur, infantes modo natos munerari; in Terentii enim Phormione (v. 46 sqq.) servum moleste ferentem aspicimus, quod servi ex eis quae uniciatim de demenso suo comparserint saepissime dominum eiusque cognatos muneribus donare debeant; quarum occasionum praeter alias affert has quoque: — — — — ubi era peperit,

porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:

illud spectat ad diem ortus ipsius, hoc ad anniversarium.

Dubitari non potest, quin haec in Apollodori Epidicazomeno iam infuerint. Neque convivio dies carebat, id quod quarto certe saeculo ineunti vindicare nobis licet: Plato enim (conv. p. 203 C) ex usu sui temporis sine dubio, deos eo die quo Venus nata erat epulantes fingit: ὅτε γὰρ ἐγένετο ἡ Ἀφροδίτη, εἱστιῶντο οἱ θεοί; Hesychius l. c. γενέθλια esse τὴν ἐπὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ εὐωχίαν. Postea id quoque more receptum videtur, ut poetae carmen γενεθλιακόν componerent et oratione infans celebraretur. Quibus temporibus talia primum facta sint, pro certo affirmari non potest. Regulae quas secuti et carmina illa et orationes conficiebant, nobis servatae sunt sub nomine Dionysii Halicarnassensis (qui tamen auctor libelli secundo p. Ch. n. saeculo inserendi non est) et Menandri (rhet. gr. ed. Chr. Walz vol. IX 279 sqq. = vol. III 412 sqq. Spengel). Neque tamen dubitari potest, quin iam antea eadem consuetudo fuerit, praesertim cum Vergilius, cum eclogam IV componeret, leges easdem ante oculos habuerit, ut Fr. Marx (Neue Jahrbb. f. d. klass. Alt. I [1898] p. 108 sqq.) nos docuit. Quae carmina et orationes originem ultimam traxisse videntur ex hymnis in deos compositis, ut Homeri Theocriti, et ex orationibus in deos et heroas habitis, ut est Matridis in Herculem laudatio (cf. Diod. bibl. IV, 8—16); quibus similes in natalibus diadochorum dictae iterum occurrunt, quem morem privati nobiles suum in usum converterunt. Cuius generis orationes die quo infantes nascebantur habitas, quamquam servatae nobis non sunt, fuisse tamen certissimum. Ps.-Dionysius enim μέθοδον γενεθλιακῶν sic incipit: (vol. V p. 242 Reiske = p. 14 Usener): ἐχόμενος δὲ

σοι τούτου (scil. τοῦ λόγου γαμικοῦ) ὁ ἐπὶ ταῖς γενέσεσι τῶν παίδων λεγόμενος λόγος κτλ.

Quamquam me non effugit, mihi, si nunc de die anniversario celebrato disputabo, haud pauca eorum quae modo dixi fortasse repetenda esse; haec tamen de die natali primo seiuncta proferre volui, quo evidentius his moribus in die celebrando iterum occurrentibus demonstraretur, Graecos huius diei, non amphidromiorum celebrationem repetivisse.

Diei anniversarii caerimonias adeuntes miramur, quod uno tantummodo loco ut videtur traditur dis sacrificatum esse; qui locus quamquam in Porphyrii demum vitae Plotini § 2 invenitur, vix tamen dubitari potest, quin idem temporibus omnibus factum sit. Supplicabantque dis, ut vitam beatiorem praeberent quam peracta fuerit et senectutem plenam felicitatis. (Ps.-Dionys. art. rhet. III p. 16 Usener.) Ut cognoscamus, quosnam deos imploraverint, non tam necesse est recordari, haud paucis hominibus fuisse deum eum cui is dies quo lucem aspexerunt sacer erat (cf. ibid. et cap. II supra), quam versus in memoriam reducere Menandri (fr. 18 vol. IV 238 Mein.) [1])

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
ἀγαθός.

qui δαίμων ἀγαθός morte appropinquante hominem relinquit et ad alios transit, ut Plutarchus (de genio Socr. p. 586 A) dicit: καὶ χρῷτο ταὐτῷ δαίμονι πρὸς τὸν βίον i. e. „eodem quo Lysis usus fuerat genio“ (adnotat Reiske tom. VIII 316). Hunc igitur deum, quem ut genium nominemus pellicimur, invocabant et eos qui γενέθλιοι appellantur, qua in re optime docemur ab Aelio Aristide (in oratione natalicia quam discipulo XIV annorum habuit: vol. I p. 113 Dind.): ὅσα μὲν δὴ θεοῖς γενεθλίοις τε καὶ πατρῴοις καὶ πρό γε τούτων καὶ μετὰ τούτους τῷ σωτῆρι καὶ τοῦ βίου καθηγεμόνι καὶ πᾶν ὅτι ἂν εἴποι τις εἰκότα ἦν, ἀφ᾽ ἑστίας ἀρξάμενα κατῆκται πρεπόντως.

Quod amici et cognati ei cuius natalis erat gratulabantur, huius usus testimonia habemus epigrammata; quae quamquam Augusti aetate composita sunt, veri tamen est simillimum, rem

---

[1]) cf. Pind. ol. XIII 105 et schol. ad δαίμων γενέθλιος· ὁ θεὸς ο διοικῶν τὸν βίον ἀπὸ γενέσεως. (Amm. Marc. XXI 14, 4). cf. Roscher s. v. Genethlios n. 2. Preller-Robert., l. c. p. 541, 2.

ipsam eis antiquiorem esse. Hunc in locum orationes illae quibus iam supra occurrimus iterum vocandae sunt quae gratulationis loco fuerint. Cuius orationum generis exempla Graeca invenies in Aelii Aristidis operibus, quam orationem modo citavimus, et exemplum medio fere quarto saeculo compositum apud Himerium sophistam (or. VIII p. 542 Wernsdorf) qua declamatione profecturus in patriam diem discipuli nobilis natalem celebrat.[1])

Ad rem pertinere videtur, de oratione huius generis componenda quae veteres docuerint paucissimis verbis comprehendere (cf. Volkmann, Rhetorik d. Gr. u. R. p. 356). Incipiendum est a tempore, i. e. a die, si singulare quid habet: si Kalendis quis natus est, dicendum, Kalendas esse principium mensis, principium autem semper esse optimum. Si sexto vel septimo vel nono die natus est (quae dierum series amplificari potest), de dis dicendum, quibus hi dies sacri sint, natum autem ad eos referendum esse. Deinde tempus anni respiciendum est. Tum de loco partus, de genere maioribusque nati eiusque de natura verba facienda sunt, ex qua herois et viris magnae virtutis aut sapientiae comparandus videatur; praeterea autem de educatione, de vitae ratione, de factis; in infantibus tamen laudandis qui rebus gestis carent de temporibus futuris praesagiendum est et praedicendum, eos summas virtutes et maximos honores adepturos esse. Hoc vel illud, ut patet, ex re ipsa semper mutandum erat; sed eo fere modo, quo praeceperunt Ps.-Dionysius et Menander, orationes quas citavi compositas esse, cum inspexeris intelleges.

Epigrammata illa perlustrantes simul comperimus, veterum fuisse morem, ut die quoque anniversario d o n a darent: cuius modi poëmata a Crinagora Mytilenaeo (A. P. VI 227. 261. 345), Antipatro Thessalonicensi (ib. IX. 93), Leonida Alexandrino (ib. VI 321. 325. 329. IX. 349. 353. 355) facta nobis tradita sunt; in quibus genera distingui possunt tria: ea quibus poëta amico gratulatur (VI 321. IX. 349), ea quae doni loco mittuntur (VI 325. 329), ea quibus donum ornatur quasi comitantibus (VI 227. 261. 345. IX 93. 353. 355).

---

[1]) Similes orationes, cum de imperatorum natalibus disseremus, commemorandae erunt, ut Dionis λόγ. βασ. IV natali Trajani dictus (cf. v. Arnim, Dio v. Prusa p. 402 sq., quem ad locum R. Wuensch me admisit), Zenobii oratio quaedam natali Hadriani habita (Suid. s. v. Ζηνόβιος) talesque.

Res ipsas breviter conspiciamus quas dare solebant (cuius rei exempla et ex Plauti fabulis quaeram): in Curculione (v. 653) anulus commemoratur, in Epidico (v. 640) aurea lunula[1]) et anellus aureolus; munera quae leno in Pseudolo (117-229) imperat, digna non sunt quae huc afferantur. Dona splendida in epigrammatibus reperimus: Crinagoras (A. P. VI 227) puero cuidam calamum mittit argenteum; idem (VI 261) lagoenam aeneam Indicam argenteo parem, quam cui dedicaverit quamquam ignoramus, veri tamen simile est, illum iuveni, cum in palaestra olpae adhibitae sint, instrumentum hoc donasse. Pulcherrimi sunt eiusdem versus (VI 345) quibus rosas virginem alloquentes fingit, quas muneri daturus erat.

Cuius generis munera fuerint, in universum docemur a Leonida (VI 325):

ἄλλος ἀπὸ σταλίκων[2]), *ὁ δ' ἀπ' ἠέρος, ὃς δ' ἀπὸ πόντου,*
Εὔπολι, σοὶ πέμπει δῶρα γενεθλίδια.

De altero more ut dicamus Antipatri epigrammate (A. P. IX 93) movemur, qui Pisoni *γενέθλιον βίβλον* comparavit. Alia huius usus exempla afferre possumus haec[3]): Dionysius Halicarnassensis ea quae *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων* conscripsit, Minucio Rufo iuveni dedicat verbis usus hisce (in princ. op.): *δῶρόν τοι ἐγώ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι, καθάπερ ἡ παρ' Ὁμήρῳ φησὶν Ἑλένη ξενίζουσα τὸν Τηλέμαχον, πρώτην ἡμέραν ἄγοντι ταυτηνὶ γενέθλιον, ἀφ' οὗ παραγέγονας εἰς ἀνδρὸς ἡλικίαν, ἡδίστην καὶ τιμιωτάτην ἑορτῶν ἐμοί.*

Item Phrynichus Commodi aetate Aristocli cuidam librum die natali dedicat. (Photius, cod. 158). Praeterea auctor librum, quem *μακρόβιοι* inscriptum Luciani operibus insertum invenimus, Quintillo natali die misit; quo in titulo ille iam posuit, quae verbis in principio libelli clare pronuntiat.

Cum dies natalis sit dies laetitiae, mirari non possumus, quod Graeci cognatos et amicos ad convivia invitarunt, cuius rei exempla sunt plurima; certa praecepta de eis qui invitandi sint apud Plutarchum (qu. conv. V 5 ex.) inveni. Quibus temporibus hic mos natus sit nescimus; certa testimonia exstant

---

[1]) cf. interpp. ad Tertull. de cultu fem. II, 10.

[2]) *στάλικες* colles esse videntur: cf. Jacobs. ad l. vol. IX p. 97.

[3]) cf. Gräfenhain, Rud.: de more libros dedicandi apud scriptores Graecos et Romanos. Marpurgi 1892 p. 6.

quarti saeculi, nam Platonis exemplum (conv. p. 203 C) iterum huc vocare nobis licet: nam si dies natalis primus epulo ornatur, certe etiam anniversarii. Notandum est, quod Aristophanes qui cenas nuptiales (e. g. aves 132) et amphidromiorum sacrificia (av. 922. cf. 493. schol. Lys. 757) commemorat, convivii die natali acti mentionem non fecit. Tertio saeculo id convivium inserendum est, quod Halcyonei, Antigoni qui Gonatas vocatur filii, natali celebratum Diogenes Laërtius (IV 6, 17) tradit, quem in diem splendide agendum pecuniam satis multam pater mittebat.

Plura huius generis cenarum exempla in scriptorum p. Chr. n. libris inveniuntur, praecipue apud Lucianum et apud Alciphronem: ille in gallo (cap. 9) sic auditur: θυγατρὸς τήμερον ἑστιῶ γενέθλια καὶ παρεκέλευσα τῶν φίλων μαλὰ πολλούς. Postea in cap. 11 de genere cenae ipso cognoscimus, δεῖπνον esse πολύοψον καὶ ποικίλον, in quo instrumentis aureis et argenteis epulantes utuntur. Altero convivio, de quo in Luciani Hermotimo (cap. 11) legimus, Eucrates natalicia filiae celebrat, qua in cena de eis certatur, quibus stoici et peripatetici inter se differant.

Eis quae Lucianus describit optime comparantur, quae in epistola scribit Alciphron[1]): Scamonides ut natalicia filiae ageret, amicos convocare constituit, et divites et nobiles, simul philosophos omnium fere scholarum, quos singulos satis iocose fingit. Convivium simplicius in eiusdem epistolis (III 18 p. 73 H.; cf. Bergl. in Seileri edit. p. 327) invenimus: ubi Eustachys Pithacionem invitat ad filii natalem celebrandum, quem ex voto agere videtur (dicit enim natalem hunc esse ἐν ταῖς κατ᾽ εὐχὰς ἑορταῖς), et uxorem illius, liberos canemque ipsam (cf. Ar. Plut. 1103 sq.).

Aliud convivii exemplum vide apud Gellium. (N. A. XIX 9).[2])

---

[1]) lib. III 55 p. 86 Hercher. cf. Luc. piscat. 34 et Ath. VII p. 279 B. cf. Seiler. ad Alc.

[2]) Ad alium exemplum ex papyris sumptum, in quo de convivio die natali filiae ut videtur comparando agitur, animum meum H. Hepding vertit: v. Comptes rend. de l'acad. des inscr. 29 (1901) p. 794; Grenfell et Hunt, Fayûm towns p. 276 n. 119.

Caput V.

Ea quae adhuc protulimus ad diem natalem cum consanguineis intimisque celebratum omnia pertinuerunt; sed interdum factum est, ut dies natalis eius qui aut de urbe aut de terra aliquo modo meritus erat, publice agendus institueretur.

Legimus enim Timoleonta Corinthium, cum tyrannide Syracusis deleta rem publicam Siculorum popularem in modum constituisset, eo modo honoratum esse, ut diem eius natalem festum haberet universa Sicilia. (Nep. Tim. 5. cf. Diod. XVI 90. Plut. Tim. 39.). — Eis quae de Timoleonte audiuntur haud dissimilia sunt ea quae titulo Pergameno (Fränkel l. c. I n. 247 col. II = leges sacr. p. 37 sqq.) bona fortuna nobis servavit: decernitur enim, ut die duodevicesimo uniuscuiusque mensis *ἐπιφάνεια* Jovis colatur, qui *τρόπαιον* in pugna se praebuerat; cum autem Pyrrhus qui prytanis illo anno erat eodem die Phratrii mensis natus esset, existimaverunt, bono genio eius magnam victoriae partem attribuendam esse, qua de causa eius *βίου καθηγεμόνα* eo modo venerari constituebant, ut natalis Pyrrhi publice quotannis ageretur.

Huc aliud quoque decretum (CIG 4717. cippus Thebanus Aegypti, circa annos 45 - 37 a. Chr. n.) referendum videtur „sacerdotum Diospoleos magnae datum in honorem Callimachi qui supremis muneribus fungebatur“ (Boeckh.); decernitur ut *σωτὴρ τῆς πόλεως* nominetur, statuae ei dedicentur, natalis eius agatur taliaque.[1])

Simile quid ex Romanorum usu huc vocare liceat, quod in „lucerna aut vase fictili“ aspicitur (Morcelli, op. epigr. IV n. 424 p. 329): „natali custodum urbis laetitia p. R.“ qua ex inscriptione apparere videtur, natalem custodum urbis (cf. de eis Pauly-Wiss. R. E. IV 1903 ubi loci Mommseniani citantur), qui de urbe optime meriti essent, celebratum esse.

Propius ad celebrationes diei familiares accedunt ei honores, quos in philosophorum invenimus scholis et in thiasis Graecorum et Romanorum in collegiis vel sodaliciis. Sed de philosophis quae hic proferri possunt aptius capiti proximo immittemus.

---

[1]) Eodem modo intellegendum esse videtur, quod sacerdoti cuidam singulis mensibus die nescioquo sacrificium praebere constituitur: Fränkel., l. c. II n. 256, 14 p. 192.

A Graecorum igitur thiasis incipientes miramur, quantulus inscriptionum numerus (si Romanorum titulorum multitudinem conferimus) ad hanc rem spectet: de collegiis enim in tribus quantum video inscriptionibus agitur.[1])

Patmi in insula (Ditt.[2] n. 681) collegium τῶν λαμπαδιστῶν (cf. Boeckh. Staatsh. d. Ath.[3] I p. 548 d) Hegemandrum quendam honorare constituit, propterea quod deos et affines maxima pietate coluit; qua de causa similibusque honores ei decernuntur, in quibus et is, ut ἐπώνυμος αὐτοῦ ἡμέρα agatur i. e. natalis, quod ex aliis exemplis Letronne (Recueil des inscr. gr. et lat. de l'Égypte I 404; idem: Recherches sur l'Égypte p. 166. 382) affirmavit.

In altero titulo (Le Bas-Wadd. II 352 j p. 541. Explic. p. 216) Iulia Eudia benefica a collegio Aesculapii et Hygiae die natali celebrando colitur, ita ut impensae a collegio ipso solvantur; sacrificatur autem eo die dis collegii tutelaribus pro salute Eudiae eiusque mariti.

De tertia inscriptione aliter iudicandum est: nam cum collegia adhuc nominata diem celebrandum sua sponte suscepissent, in hoc titulo Graeco et in omnibus inscriptionibus Latinis res ita se habet, ut is qui diem natalem agi vult summam pecuniae leget, cuius ex usuris hoc fiat; et quomodo hac in re senserint, optime cognoscimus ex eo, quod persaepe additur: „si condicio s. s. mutata vel omissa fuerit“ sive „quodsi facere neglexerint“ (cf. CIG 3028: εἰ δὲ μὴ ποιήσουσι κτλ), pecunia pertinebit ad ..., e. g. ad rem publicam (CIL XIV 325. cf. X 5654. XI 4391), ad fiscum maximi principis (CIL XII 4393), ad alterum collegium (ib. IX 1618), ad cives et municipia (IX 3160. XIV 367. 431. 2793. 2795), ad libertos (IX 1618), ad heredes (VI 10297). Alio loco (X 107) hoc tantum sancitur, ne pecunia alios in usus convertatur.

Inscriptione Graeca, quae huc spectat,[2]) certiores fimus Cratonem collegio Attalistarum adscriptum decem milia et quingentas drachmas legasse, ut sacrificia conventiones taliaque

---

[1]) Aliam inscriptionem, cum dubitari possit annon huc referenda sit (natalis in collegio τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν celebratus?), attulisse sufficiat: Le Bas-Wadd. l. c. III 90.

[2]) CIG 3069. Tei in oppido circa 150 a. Chr. n. De eodem Cratone cf. 3068; Foucart, de collegiis scaenicorum artificum (Paris. 1873) p. 26.

certis diebus sodales facerent; qua benevolentia ut dignos se praeberent decreverunt *κυρῶσαι*[1]) *τὸν ἱερὸν νόμον τὸν ἀπολελειμμένον ὑπὸ Κράτωνος*, celebrare autem eius diem natalem.

Quartam aevi posterioris inscriptionem hoc loco subiungere licet, in qua tamen de magistratu publico, non de collegio agitur (CIA III 1 n. 57 p. 33): *κῆρυξ* quidam *τ[ῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βου]λῆς καὶ ἀρ[χιερεὺς Σεβαστῶν . . .] τῷ σεμνοτά[τῳ συνεδρίῳ τῶν Ἀρε]οπαγειτῶ[ν] . . . . . [κε]φάλαι[ο]ν* legat, cuius magnitudo lapide deleto non constat; id autem sanxisse videtur, ut ex usuris Areopagitae partem quandam accipiant qua fortasse ut epularentur uti iussi sunt et aliis diebus et *[τῇ γεν]εθλίῳ ἡμέρᾳ*.

In Romanorum sodaliciis aliquanto aliter res se habet, et praesertim cum numerus titulorum, quibus dies natalis vivorum celebrandus collegiis imperatur, satis parvus sit (CIL VI 1872. IX 4691. X 5657. 6465. XI 4391. 4404. XIV 367. fortasse 431), de eis cum ceteris titulis Latinis capite proximo disputabitur.

Caput VI.

Quibus capitibus absolutis cognovimus, diem anniversarium agi viventium; neque vero homines morte superati vivere desierunt, pergunt potius vel ipsi vel animae eorum; quae cum veterum iam fuerit sententia, non miramur natales ut viventium ita mortuorum non neglegi. (cf. Petersen. l. c. p. 301. E. Rohde, Psyche[2] I p. 235 adn. 1. II p. 344, 5. 351, 4.) Cum Romani hanc quoque celebrationem natalicia vocent, Graeci tamen distinguunt, illam *γενέθλια* nominantes, hanc *γενέσια*: neque de alia re *γενέσια* vocem intellegi posse, e. g. non de die quo quis mortuus sit vel ex etymologia apparere, omnes fere putant. (cf. Petersen, Rohde ll. ll. Baumeister, de Atye et Adrasto p. 12. Schömann-Lipsius, Griech. Alt. II 497. 605). Alio tamen modo de hac re iudicandum esse videtur; iam A. Mommsenus (l. c. p. 173) ab eorum sententia dissensit et post eum Hirzelius (Eid p. 167 sq.) qui putat, satis mirum hoc nomen esse neque adhuc perspectum et dilucidum. Ipse *γενέσια* publica, cum die Boëdromionis

[1]) cf. Romanorum clausulam „quod se recepturos promiserunt“ e. g. CIL V 7906.

agantur quinto, qui dies quintus singulorum mensium (ut supra vidimus) natalis est Horci, quem ab Orco seiungendum negat, diem natalem esse dei mortis putat eademque festum eorum qui Orci sint; euphemismum quendam inesse existimat *γενέσια* voci, qua hic dies ornatus in universum „natalis“ significetur.

Sed vir doctus et ipse in eo cum omnibus consentit, quod *γενέσια* diem aliquem natalem esse censet. Sed fortasse, ut rem obscuram aliter definientes explanemus, nobis continget.

Incipiamus a verbi etymologia: puto enim, *γενέσια* verbum alio modo quo adhuc factum sit referendum esse: nam alias voces similes considerantes ut *δημόσιος, ἱκέσιος* talesque invenimus eas ad *δημότης ἱκέτης* spectare i. e. ad nomina in *-της* syllabam cadentia: ergo *γενέσιος* ad *γενέτης* pertinet, ita ut *γενέσια* id festum significent, quod parenti vel omnino maioribus praebetur, quod a Romanis p a r e n t a l i a appellatur: censeo igitur *γενέσια* huic Romanorum usui respondere, qua in opinione rationibus confirmor praecipue hisce. Inveniuntur apud lexicographos loci ad hanc rem pertinentes, qui ni fallor ex duabus grammaticorum glossis originem traxerunt quarum ex altera Phrynichus (p. 103 Lobeck; frg. 83 Rutherford.) et Ammonius (*περὶ διαφ. λέξεων* p. 36 Valck. cf. Bachmanni anecd. II p. 377, 8)[1]), ex altera commentator Platonis (ad Alcib. pr. p. 121 C), Suidas (s. v. *γενέσια*), etymologicum magnum (p. 225, 29) hauserunt.

Ut ab his incipiamus, apud scholiastam Platonis legimus: *γενέθλιά ἐστιν ἡ δι᾽ ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τ ε χ θ έ ν τ ο ς ἑορτή, γενέσια δὲ ἡ δι᾽ ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τ ε θ ν ε ῶ τ ο ς ἑορτή*. Quae verba non alio modo comprehendi posse mihi videntur nisi hoc: ut dies natalis vivorum celebratus vocatur *γενέθλια*, ita mortuorum *γενέσια* Eadem verbis Suidae et E. M. significari, optime ex eo apparet quod voces *μνήμη* et *ἑορτή* sibi opponuntur: dicunt enim: *γενέθλια· ἡ δι᾽ ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος ἑ ο ρ τ ή, γενέσια· ἡ δι᾽ ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μ ν ή μ η*. Veri mihi simile videtur haec ad idem festum pertinere.

---

[1]) A. Kopp., de Ammonii, Eranii, aliorum distinctionibus synonymicis earumque communi fonte (Regimont. 1883 D.) p. 35 sqq. ostendit praecipue „Bachm. anecd. II 375, 26—381, 16 glossas tam bene congruere ut compilator ille Ammonium perlegens eodem quem hic secutus est ordine quaedam in farraginem suam transscripsisse putandus sit.“ Errat Leop. Cohn., (Fleckeis. Jahrbb. Suppl. XIII [1884] p. 824, 5) qui scholiastam Platonis (ad Alc. pr. p. 121 C) ex glossis lexici Bachm. haurire contendat.

Differt Suidas a scholiasta Platonis eo tantum modo quo verbis utitur: hic bis ἑορτή verbo utitur quo fit, ut inter viventem et mortuum secernat; ille bis τεχθέντος vocem adhibet, qua de causa tum ἑορτήν tum μνήμην commemorat: nam μνήμη de mortuis tantum dici posse per se patet.[1])

Aliter alter grammaticus docuerat, ex quo Ammonii et Phrynichi verba fluxerunt. Hic dicit: γενέσια οὐκ ὀρθῶς τίθεται ἐπὶ τῆς γενεθλίου ἡμέρας. Ammonius tradit, γενέθλια esse diem quo quis natus sit, γενέσια autem in usu esse de mortuis, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκε. Quin etiam locus is servatus esse nobis videtur vel eius similis, ex quo Ammonii grammaticus ea quae praebuit hauserit: testimonium dico gravissimum Herodoti (IV 26) qui docet, morem fuisse Issedonibus, ut patri mortuo quotannis sacrificaretur, et rerum contextu apparet, hoc fieri eo die quo pater mortuus sit; tum pergit: παῖς δὲ πατρὶ τοῦτο ποιεῖ, καθάπερ οἱ Ἕλληνες τὰ γενέσια; quo loco optime firmatur quod contenderamus. Praeterea intellegi non potest, γενέσια a primordiis de celebratione diei natalis in usu fuisse, praesertim cum sciamus (cf. Bekk. Anecd. 86, 19. 231, 20), γενέσια feralia publica fuisse. In eo quoque γενέσια parentalibus Romanorum comparari possunt, quod et publice et privatim aguntur: differunt tamen inter se, quod Graecorum festum per plures dies publice celebrabatur quam Romanorum. (cf. Wissowa, ap. Iw. v. Müller., Handb. V 4 p. 187.)

Vetamur igitur putare, antiquis temporibus diem natalem γενέσια voce nominatum esse. Sophocles quoque (Electra 281) Clytaemestram e o d i e q u o maritus m o r t u u s est ἔμμην' ἱερά facientem fingit. Praeterea testimonium haud contemnendum testamento Epicuri praebetur, quo sancitur (Epicurea ed. Usener p. 166), ut τὰ ἐναγίσματα τῷ τε πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς fiant. Tum vero additur: συντελείτωσαν δὲ καὶ τὴν τῶν ἀδελφῶν ἡμέραν τοῦ Ποσιδεῶνος i. e. natalicia[2]) fratrum Posideone mense, ita ut inter parentalia (haec enim sunt ἐναγίσματα illa, itaque γενέσια) et natalicia fratrum mortuorum plane distin-

---

[1]) in Crameri Anecdotis Paris. Gr. vol. IV p. 124, 30 s. v. γενεθλιαλογία legimus: ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ θανόντος μνήμη, quae vis ab usitata vocis significatione satis abhorret.

[2]) Hesych.: ἡμέρα· τὰ γενέθλια. Saepius invenitur sic natalicia mortuorum complurium die agi eodem.

guatur, id quod ad nostram sententiam optime quadrat. Sed si illa *ἐναγίσματα* ipsa die natali fierent, Epicurus eandem rem bis praecepisset.

Paulatim tamen ea *γενέσια* verbi significatio, in qua natum est, in oblivionem obiit, ut de eis quoque festis in usu esset, qui die natali cum viventis (ut apud Alciphronem aliosque) tum mortui celebrabantur; quem ad verbi usum glossa ex qua Suidas aliique hauserunt spectavit. A veri simili vix aberrabimus putantes eos ut voce hoc modo uterentur etymologia falsa commotos esse.

Quod scriptores ecclesiastici et omnino christiani diem quo quis mortuus est natalem vocant, qua de causa martyrorum dies emortuales quasi natales celebrentur, plane alia res est (quibus de diebus celebratis vide Hildebrand. l. c. cap. XIII. cf. Petersen p. 302, 12) neque ad illum Graecorum usum quo *γενέσια* de die natali dicunt ullo modo pertinet.

Γενέσια apud Graecos patri a filio celebrantur, sic Isaeus or. II § 46 dicit[1]): *ἄπαιδα δὲ τὸν τελευτήσαντα καὶ ἀνώνυμον βούλεται καταστῆσαι, ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ μήτ᾽ ἐναγίζῃ αὐτῷ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτόν.* Pro puero pupillo tutor eius *τὰ νομιζόμενα* facienda curat. (cf. Is. I, 10. Rohde, l. l. I p. 250. cf. Is. or. IX § 7. Isocr. IX, 1.)

De patris non solum, sed etiam maiorum omnium veneratione his locis dicitur, quae tamen quotannis die facta est uno, ita ut eo die ageretur, quo proximus mortuus est, et filio mortuo in eius diem incideret; nam pater qui in filio vivere quasi perrexerat iterum diem supremum obiisse videbatur. Unus tamen ex maioribus gentis tanta utebatur auctoritate, ut natalis eius a maiorum diebus separatus ageretur, eum dico qui gentis putatur auctor et abavus vel heros, ad quem *ἱερὰ ὀργεωνικά* (cf. Petersen, Chr., Der Hausgottesd. d. alten Gr. adn. 129—135), sacra gentilicia[2]) spectant. Quae sacrificia quin die natali mortui facta sint, quamquam ullo loco traditum non invenies, dubitari non potest, praesertim cum philosophorum scholae diem natalem auctoris et vivi et mortui egerint, ut ex veterum testimoniis certissimum est.

---

[1]) cf. CIG. 1976. 3645. thes. l. gr. s. v. *ἐναγίζω, ἐναγισμός*.

[2]) cf. Schubert., l. c. § 33. Wöniger, A. Th. Sacralsystem der Römer p. 191.

Socratis, Platonis, Carneadis natales in Academia celebratos esse, Plutarchus nos docet: tradit (qu. conv. VIII 1, 1. cf. Ideler, Hdb. d. Chronol. I p. 336 sq.) de Socrate et Platone: *τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τὴν Σωκράτους ἀγαγόντες γενέθλιον τῇ ἑβδόμῃ τὴν Πλάτωνος ἤγομεν.* De Carneade (Plut. l. c. VIII 1, 2) quamquam verbis ipsis non traditur, eadem tamen valere probabile videtur, praesertim cum et ipse septimo die Apollinis sacro natus diceretur: Plato Thargeliis, Carneades autem *Καρνείοις*, quare plane appareat, quae ratio inter festi et hominis nomen intercedat. Ceterum et Socratis et Carneadis dies natales fictos esse apparet.

Per quantum temporis spatium hic mos Socratis et Platonis dies agendi floruerit, optime cognoscimus non tam ex Gellii noctt. Att. XV 2 quam ex Porphyrii vita Plotini (§ 2. cf. § 15) qua docemur, Plotinum cum discipulis natales Socratis et Platonis sacrificiis conviviisque celebrasse, *καὶ λόγον ἔδει τῶν ἑταίρων τοὺς δυνατοὺς ἐπὶ τῶν συνελθόντων ἀναγνῶναι.*

Idem Aristotelis festum a peripateticis actum esse, etsi ne uno quidem loco traditur, veri tamen simillimum videtur et Peterseno concedo qui putat, diem conviviorum ab eis actorum ad illius natalem referendum esse.

Optime vero harum rerum modus ex Epicuri testamento apparet (Diog. L. X 18 = Epicurea p. 165)[1]: sancit enim, ut natalis suus die Gamelionis decimo (sic enim *τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ* cum aliis intellego: cf. Hermann, G. A. § 45, 12. A. Schmidt, Chronol. p. 150; sed vide Unger., in Iw. v. Mülleri Hdb. I^2 p. 728 § 13) quotannis agatur.[2])

Cicero (de fin. II § 101) et Plinius (n. h. XXXV § 5) diem omiserunt. Neque enim Boeckhio (Fleckeis. Jahrbb. f. Phil. Suppl. II p. 89 sqq.) assentior qui putat, Plinium l. c significare, diem Epicuri natalem luna esse vicesima: hae feriae

---

[1]) cf. Gassendus, P. de vita et moribus Epicuri (Hag.-Com. 1656) II 1 p. 29 sqq. Schoemann-Lips. l. c. II 605.

[2]) Guetther l. c. p. 21 dicit: „Athenaeus de Epicureis refert, illos diem natalem Epicuri ita egisse, ut imaginem eius in domibus atque plateis circumferri illamque patinis et cantharis infodi curarint, reliquum denique diei tempus compotationibus et commessationibus transegerunt." Similes locos apud Athenaeum inveni, non tamen eum, quo de die natali Epicuri ipso ageretur.

ad *εἰκάδας* spectant quod Plinius ipse addit: vicesimo enim die singulorum mensium epula agebant et ex Ciceronis verbis elucere videtur, eum quoque censuisse, natalem alio die esse atque eo quo *εἰκάδας*, epula autem vicesimo. Ut ipsius dies ita fratrum natales et Polyaeni ne ritibus sollemnibus carerent Epicurus postulavit.

Concedo sane opinionem eorum, qui *τὴν προτέραν δεκάτην* vicesimum diem esse volunt, melius ad rem quadrare videri, ea de causa quod diem vicesimum ad Apollinem spectare iam vidimus et saepius animadvertimus, in scholis dies conditorum eis diebus agi, qui ad hunc deum spectant: ut Platonis natalis septimo mensis die agitur[1]), item Carneadis. Praeterea schola gnosticorum Cephallensium (Clem. Alex. strom. III 2: Migne VIII 1105. cf. Petersen l. c. p. 304. A. Mommsen, Chronologie p. 83, 1) eum qui eam condiderat, Epiphanem, divino cultu ornavit, natalem eius novissima luna agens mensium singulorum; idem dies ad Apollinem pertinet, ut nemo nescit. Itaque iuste dubitatur (cf. Wilamowitz, Arist. u. Athen I 90), annon re vera illi omnes diebus Apollinis ipsius nati fuerint, qui mirus esset casus. Rectius putabimus, hos dies ut scholarum conditores eo magis honorarentur et Apollines quasi renati viderentur electos esse. (cf. Petersen 304.)

Qua tamen re minime negaverimus, natales auctorum scholarum etiam vivorum actos esse; ita potius erat ut post mortem haec consuetudo continuaretur, non institueretur. Id tamen mutatum est, ut natalem mortui quem in heroum numero habebant Apollinis diei imponerent. Sed Epicurus natalem hoc modo alterum in diem transponi noluit, quod ex eius testamento apparet, cum verbis utatur *εἰς τὴν εἰθισμένην γενέθλιον ἡμέραν* i. e. ad solitum diem natalem: eo igitur die eum agendum praecepit, quo etiam antea donec vivebat agere solebant. Et nunc, postquam haec perspeximus, quaestio ea qua Boeckhio l. c. aliisque viris doctis dubitationes motae sunt, scilicet cur Epicurus qui die natus sit septimo (Diog. L. X 14) natalem

[1]) Dubium non est quin Platonem septimo die natum ea de causa finxerint, quod Apollinis filius Speusippi iam temporibus putabatur (Plut. qu. conv. VIII 1, 2. Apul. dogm. Plat. I 1); eodem modo quo Theseo diem attribuebant octavum, *νομίζοντες ἑτέρου μᾶλλον ἐκείνῳ προσήκειν τὸν ἀριθμὸν τοῦτον, ἐκ Ποσειδῶνος γεγονέναι λεγομένῳ· καὶ γὰρ Ποσειδῶνα ταῖς ὀγδόαις τιμῶσιν.* (Plut. Thes. 36.)

distulerit in decimum, facile solvi videtur. Quid? si Epicurum, qui die decimo natus erat, cultores causis nobis iam haud ignotis commoti die septimo mensis natum postea finxerunt? Itaque paulo supra dixi, eorum qui τὴν δεκάτην προτέραν vicesimum diem intellegant opinionem melius quadrare videri, sed videtur tantum: nam ἱ δεκάτη προτέρα i. e. decimus dies, cui nihil cum Apolline, εἰθισμένη γενέθλιος est, septimus postea est electus.

Alii qui ita honorantur, ut natales eorum post mortem a compluribus agantur idque publice, ei sunt qui, cum urbes aut condiderint aut earum incolis maxima fuerint utilitate, mortui dis vel heroibus inseruntur.

De Hippocrate medico legimus (cf. p. 8): natus est μηνὸς Ἀγριανοῦ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ, παρ᾽ ὃ καὶ ἐναγίζειν ἐν αὐτῇ μέχρι νῦν Ἱπποκράτει φησὶ (scil. Σωρανός) τοὺς Κώους.

De Lycurgo (Plut. Lyc. 31. Strabo VIII 5 p. 314, 26 M.-D.) et Leonida (Paus. III 14, 1) a Lacedaemoniis celebratis et de Dione (Diod. XVI 20) et Timoleonte (Diod. XVI 90. Plut. Tim. 39)[1]) a Syracusanis observatis, cum locos quos adnotavi inspexeris, dubitatio fortasse tibi movebitur, annon haec ad hanc rem spectent. Puto tamen, Timoleontis exemplo (iam supra allato) nos satis doceri: Diodorus l. c. tradit: ἀνηγόρευσεν ὁ δῆμος τῶν Συρακοσίων, Τιμολέοντα τιμᾶν ἐτήσιον . . . ., τιμᾶσθαι δὲ εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἀγῶσι μουσικοῖς καὶ ἱππικοῖς καὶ γυμνικοῖς. Plutarchus eadem fere verba facit; de die natali uterque tacet; hac autem in re Nepos nos adiuvat, qui plane dicit, diem eius natalem festum habuisse universam Siciliam. Itaque alios et ipsos die natali publice celebrato honoratos esse conicere nobis licebit, praecipue eos, quorum festa quotannis acta traduntur i. e. Lycurgum et Leonidam.

Eius qui urbem condidit aut condidisse dicitur exemplum quod huc pertinet Plutarchus praebet in vita Arati (c. 53); quem heroa οἰκιστὴν καὶ σωτῆρα τῆς πόλεως Sicyonii duobus festis sacrificiisque post mortem anniversariis colebant, quorum alterum die eius natali fiebat. Ut eum colerent, sacerdotem ipsum ei praebuerunt qui τῆς δευτέρας θυσίας (i. e. eius quae natali fuit) κατήρχετο, στρόφιον οὐχ ὁλόλευκον, ἀλλὰ μεσοπόρφυρον ἔχων. Praeterea collegium τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν diem concele-

[1]) cf. Nitzsch, G. W.: de apotheosis apud Graecos vulgatae causis, Kiel 1840.

brabat, et processio fuit. Qui tamen honores Plutarchi temporibus Arato dari magis magisque desierunt.

Iam modo Arati exemplum afferentes vidimus, collegium celebrationi interesse. Nescio an hunc in locum testamentum Epictetae (inscr. gr. ins. III 330. cf. Rohde l. l. I 250, 1. Schoemann-Lips. l. l. II 605.) vocare nobis liceat: quo et alia praecipiuntur et hoc ut a collegio constituendo sacrificetur die vicesimo Delphinii mensis Phoenici et Epictetae *ἥρωσιν*. (inscriptionis part. II 35. VI 7 sqq. etc.). Sacrificium ambobus eodem die praebendum fortasse quempiam commovet, ut neget de die natali cogitandum esse. Sed deliberantes, veteres studuisse, ut heroum natales in deorum quorundam diebus imponerent, veri simillimum putabimus, Epictetam id agere, ut Phoenix Apollo quasi *εἰκάδιος* videatur; itaque dies Delphinii XX. natalis est herois, non is quo Phoenix natus erat. Ac ne in eo quidem offendamus necesse est, quod eodem die natalem suum celebrandum Epicteta sanxit: nam eodem modo quo Diana haud raro una cum Apolline fratre colitur, ut eodem die eoque Apollinis eis immoletur[1]), Epictetam Phoenici marito die se accommodare iuste putabimus.

Apud Romanos, si nunc natales imperatorum mortuorum omittimus, exempla dierum natalium publice actorum non inveni, sed eo plura natalicia in collegiis celebrata[2]), quod lapidibus docemur. Quos titulos perlustrantibus nobis observandum est, qua de causa pecunia legetur, deinde utrum ut sui ipsius an alterius natalis celebretur pecuniam collegio quidam dedicet, postremo utrum eo vivo dies iam agendus sit an post mortem.

Quaerentes qua re commotus quis pecuniam diei agendo destinatam collegio permittat invenimus, plerumque ob honores acceptos et saepissime ob statuae dedicationem hoc fieri,[3]) quam

[1]) ut unum exemplum adscribam: CIA III 77 p. 45 = Leg. sacr. p. 7 n. 3: *Πυανοψιῶνος Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι ζ′ π[ό]πανον χ[οιν]ικιαῖον ὀρθόνφαλον κτλ.*

[2]) Libros huc spectantes iam enumeravi; in Waltzingii opere vide praecipue vol. I 294 sqq. 325 sq. 434 sq. cf. 236. II 464 sq.

[3]) CIL V 7906. VI 29700. (cf. 29701.) 29702. IX 4691. X 451. 5654. 5657. 5928. 6465. XI 4391. 4404. XII 4393. XIV 367. 431. 2793. Aliter VI 1872, ubi legimus, statuam poni propter merita et propterea quod iam antea pecunia ut dies natalis observaretur data erat.

corporati propter eius de collegio merita posuerunt. Saepius is qui statua posita honoratur collegii patronus est, et interdum ille honore et statua contentus collegio sumptus reddit, quos statua ponenda susceperat. (cf. CIL XI 4391. XIV 367. cf. X 3704. 5853. XII 4406; Waltzing IV 415, 6⁰, d.)

Alii ob memoriam alicuius colendam diem eius natalem (sive ipsius sive alterius) a collegio celebrari volunt (CIL V 5272. IX 23. VIII 14613. Ephem. epigr. VIII 210): quo apparet, eos qui collegio adscripti sint eadem quasi gente teneri eodemque deo uti gentilicio, et eodem modo quo in gente et in domo anniversarius patris matris et quicumque sunt gradus agantur, hoc idem fieri in collegio.

Quibus exemplis allatis haud multi addendi sunt tituli, quibus pro se ipse quidam ut dies agatur postulat.

vir ut natalis celebretur rogat VI 9626. 10297. VIII 9052. (cf. 10725.) X 1880. XIV 325. cf. 246, II, 24 sqq.

Fortasse Julius Aelianus eadem a collegio eborariorum postulavit: (Mitteilgn. d. arch. Inst. Röm. Abt. V (1890) p. 288 sqq. Zeitschr. d. Savigny-Stiftg. f. Rechtsgesch. XI. Rom. Abt. p. 82); sed cum haec pars inscriptionis servata non sit, dubitari potest an ea de causa eius dies agatur, ut ei gratias agant, quod eis „ius“ i. e. donum (Zeitschr. d. Sav.-Stftg. p. 75) dedit.

femina autem: V 4489. XI 4391. 6520.

Praeterea hoc loco tabulae illae commemorandae videntur (XIV 326. cf. 2112, II, 11—13), quibus index vel si vis album eorum comprehenditur, quorum natalis dies festus habendus est; qui homines aliqua ratione ad collegium dendrophororum quod Ostiae erat pertinere videntur, nescio an sodales ipsi (vide Dessau. ad inscr., de dendrophoris cf. H. Hepding, Attis = Religionsgesch. Versuche u. Vorarbeiten, herausgeg. v. A. Dieterich u. R. Wünsch vol. I p. 152 sqq.)

Neque vero ut dies ipsorum ageretur legata dederunt, sed etiam ne cognati post mortem in oblivionem inciderent, hoc fecerunt. Invenimus enim maritum, memorem Senecae verborum (fr. 51 vol. III 429 H.) quibus dicit uxoris natalem esse celebrandum, scholae vexillariorum XXX milia sestertium largitum esse, ut dies uxoris mortuae praecepto modo ageretur

(CIL V 5272); item VIII 9052. Uxorem etiam coniugi duabus in inscriptionibus (V 4489. VIII 14613) idem facientem videmus. Simili modo mater filii prius mortui memoriam colendam curat (V 7906. aliter IX 1618), pater filiae (XIV 2793 anno 169 p. Chr.), cui etiam „templum cum signo aereo effigie Veneris“ aliisque signis fecit (Gabiis) et Dessau recte coniecit, Veneris nomen attributum esse mortuae, quae viva Plutiae Verae nomine usa est.[1]) Alius titulus (X 5654) sic perspiciendus mihi videtur, ut avus nepotis nomine summam pecuniae donaverit, ut natali nepotis sportulae dentur. Neque enim ad avi ipsius natalem res referri potest, propterea quod is a. d. X Kal. Jan. natus est, haec autem pecunia ad diem ante Kal. Jan. XII pertinet.[2])

Quin etiam semel (V 5272) libertus, si lacuna recte impleta est, ad memoriam dominae colendam satis multos sestertios legavit, cum reditus eorum summae mille ducenti sint denarii. (cf. Waltzing I 297. 458.)

Non difficile est intellectu, cur homines talia legata collegiis fecerint. Manes neglegi aut cultu carere noluerunt, et animi hoc metu perterriti tranquillabantur, si persuadere sibi potuerunt, genium post mortem coli pergere: quod officium, quamquam maxime liberorum cognatorumque erat, variis de causis facillime omitti potuit. Tam parata enim, ut Plinius (ep. VI, 10) dicit, est oblivio mortuorum, ut omnia heredum officia praesumenda sint. Sed tam contemptim de hominibus loquamur aut cogitemus necesse non est: nam ei quoque mortales sunt, et ut gens ipsa intereat fieri potest. Itaque haud ineptum videbatur, collegio quod in perpetuum quasi manebat officium illud mandare.

Plerumque haec legata testamento sanciuntur; sunt tamen qui velint natalem dum vivant a collegio iam celebrari (cf. p. 22): nam cum ob statuam dedicatam eodem die quo posita est sportulas dividendas et natalem agendum instituant, apparet hoc non testamento fieri: unde sequitur, ut diem a collegio agi iam se vivis voluerint.

Plurima legata collegiis fabrorum centonariorum dendrophororum Augustalium relinquuntur; haud inutile videtur, hoc

---

[1]) Fortasse Aelianus huc iterum vocandus est, cuius filii, ut videtur mortui, natalis celebratur: Mitteilgn. l. c. p. 288, 14 sq.

[2]) Dubitari potest, annon titulus CIL XI 132 huc referendus sit.

loco uno conspectu collegia quae legata talia accipiunt breviter enumerare, qua in re ut inter collegia opificum et collegia ea quae nomine magis quam illa ad religionem spectare videntur acriter distinguam necesse non est, propterea quod collegia omnia religione orta sunt neque inveniri potest, rationem munerum et dierum actorum quae illis est ab horum ratione abhorrere. Quibus de causis commotus ordinem litterarum sequar, eis titulis hoc loco omissis qui cum ad imperatorum et deorum vel collegii natalicia pertineant alia occasione in disputationem vocandi erunt.

Augustales corporati: Ostiae XIV 431. Puteolis X 1880. Reate IX 4691.
centonarii: Ameriae XI 4391. 4404. Arimini XI 379. Cemeneli V 7906. Sassinae XI 6520.
cultores antistes deae Cereris urbis Fabrateriae veteris: X 5654.
curia Jovis vel caelestis: Simitthi VIII 14613.
dendrophori: Eburi X 451. Sassinae XI 6520.
fabri: Arimini XI 379. Brixiae V 4489. Comi V 5272. Sassinae XI 6520.
fabri subidiani Narbonenses XII 4393 (anno 149 p. Chr.)
fabri tignuarii: Ameriae XI 4404. Tolentini IX 5568.
farmacopolae publici: Brixiae V 4489.
iuvenes Herculani Fabraterni X 5657.
collegium iuvenum: Anagniae X 5928. Setiae X 6465.
medici: Beneventi IX 1618.
mensores machinarii: Romae VI 9626.
piscatores et urinatores: Romae VI 1872 (206 p. Chr.) 29700.
scabillarii: Ameriae XI 4404.
seviri Augustales: Aletrii X 5809. Ostiae XIV 367.
tabernarii intra murum negotiantes: Gabiis XIV 2793.
vexillarii: Comi V 5272.
collegia ignota: Nemausi XII 5905 (161 p. Chr.). Opitergii V 1978. Ostiae XIV 246, II, 24 sqq. (140 p. Chr.) XIV 325 (194 p. Chr.; fortasse dendrophori). Romae VI 10297 (155 p. Chr.).

Legantes collegiis semper fere pecuniam relinquunt, rarius alias res, ut agellum (V 4489) vel tale quid. Ac ne illud quidem

neglegendum videtur, quod haud raro ab eodem homine collegiis compluribus legatur: e. g. Ameriae centonariis, fabris tignuariis, scabillariis (CIL XI 4404. cf. 379. V 4489. 5272 taliaque).

Simillimo modo quo collegiis summa legatur, ut natalem agant, saepius invenimus et Graecos et Romanos civitatibus pecuniam praebere, ut ex usuris idem faciant.

Ab initio sine dubio ita erat, ut civitas legato non relicto hominem hoc vel illo modo honoraret e. g. natali publice acto quod supra vidimus; addere possumus (cf. Strack., Dynastie der Ptol. p. 251 n. 95 exit.) Ptolemaeo VI regnante Boëthi *ἀρχισωματοφύλακος* natalem *κατὰ τὸν κείμενον βασιλικὸν νόμον* a sacerdotibus qui regis diem ipsius egerint celebratum esse; qui honor, cum ad eos qui dis imperatoribusque praebebantur proxime accedat, plurimi aestimandus visus est. In collegiis quoque primum natalis pecunia non legata actus esse videtur (cf. p. 21).

Quodsi apud Romanos legatis non praebitis ne uni quidem hunc honorem attributum invenimus, ne casui adscribamus, multitudine inscriptionum impedimur.

Sed ut in collegiis ita in civitatibus res ita se mutaverunt, ut pecunia ea de causa legaretur; quapropter collegium vel civitas quasi coacta diem observabant.

Nescio num quid intersit, utrum collegio cuidam an civitati natalis celebrandus mandetur: caveamus tamen negemus, ei qui civitati legaret cum collegio ullo rationem fuisse (e. g. CIL XI 379).

Ne apud Graecos quidem eius honoris quod pecunia non data natalis publice ageretur, inscriptionum inveni exempla praeter Pergamenam (Fränkel l. c. I n. 247 col. II = leges sacr. p. 37 sqq.); testimonia auctorum attulimus (v. p. 28).

Ceteris in titulis Graecis senatui ad diem natalem agendum denarii traduntur.

In altero titulo (Ath. Mittlgn. VIII [1883] p. 321 Trallibus inv.) M. Aurelius quidam, cognomine *Εὐάρεστος*, anno p. Chr. n. 161 *τῇ κρατίστῃ βουλῇ* pecuniam quandam reliquit; qua quomodo die natali uti debuerint ignoratur; summa propter statuam dedicatam data esse mihi videtur, cum sub finem *τῆς ἀναστάσεως τοῦ ἀνδριάντος* mentio fiat.

Alter, *Διογένης ἥρως ἀγαθός* (CIG 3417), eadem de causa i. e. ob statuam sibi positam *τῇ ἱερωτάτῃ βουλῇ δηνάρια βφ΄ καὶ (τῷ) συνεδρίῳ τῶν πρεσβυτέρων δηνάρια αφ΄* Philadelphiae relinquit, ut ante statuam die natali sportulae dividantur (cf. CIL V 5272, 23; VIII 9052).

Apud Romanos similia aspiciuntur exempla:

Feltriae (V 2072) L. Veturius Ciarnensibus sestertios nummos MDC donavit, ut natalicia et exequias facerent.

Simili modo C. Faesellius (XI 379) quidam Forodruentinis aliisque permulta reliquit, ut sportulae die natali semper dividantur.[1]

Inutile tamen videtur, hoc modo omnia pertractare; sufficiat titulos ipsos ordine quodam enumerare:

vir legat: Gruter. p. DLXXI n. 1. CIL II 4511. 3664. (3415?) X 4736. 5849. 5853 (vide Mommseni comm.) *Wilmanns 313.[2]

Praeterea iuvat, testamentum quoddam codice s. X. servatum affere (Wilm. ex. 315. cf. Liebenam. l. l. p. 256, 1), quo Gallus quidam primo p. Chr. n. saeculo exeunte similia fieri iubet; sed hoc ad vitam privatam pertinet; ac ne id quidem reticere mihi licet, verba „die natali meo" ipsa suppleta esse.

femina legat: IX 4971. XIV 2827. *II 1174, quae et de natali coniugis vel cognati cuiusdam agendo similia praecipit: puellis et pueris sportulas dari iubet, ita tamen ut puellis plus detur, fortasse ea de causa quod ea quae haec legat ipsa femina est.

filius ut patris et matris natales celebrentur, Firmanis summam pecuniae donat: IX 5376.

pater ut filii natalis observetur: Wilm. 2099. CIL IX 23. X 5857. XIV 353.

alter filiae hanc memoriam instituit: X 107.

Alia in inscriptione (II 1276) aliquis pollicetur, se alterius vel ipsius natali sportulas daturum (vel daturam) esse, sed addit „quoat vixero".

---

[1]) Inscriptionem X 5654, cum verba ultima quae ad diem natalem spectarent a Mommseno suppleta sint, commemorare sufficiat.

[2]) in inscriptionibus *notatis res hominibus privatis mandatur, non oppidis.

In aliis quoque titulis quos citavi interdum invenies verba „in perpetuum“ non addita; sed tum quoque Marciano (Dig. XXXIII 1, 24. Corp. iur. civ. I 460)[1]) assentiemur qui dicit: „cum quidam decurionibus divisionem dari voluisset die natalis sui, Divi Verus et Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato.“

Haec fere de die natali apud veteres celebrato nunc proferre volui; quae pars minor sunt earum quaestionum quae ad hanc rem pertinent. Neglecta sunt deorum, principum, Romanorum natalicia, in quae alia occasione inquirere mihi proposui.

[1]) cf. Hildebrand. l. c. cap. IX p. 42 (qui tamen in nomine iuris consulti erravit) et Lindenbrog., ad Censorin. de die nat. c. 3 p. 15, 12 Haverk.

Vita.

Guilelmus Schmidt, Henrici f. et uxoris eius e gente Listmann, quos adhuc vivere maxime gaudeo, natus sum Francofurti-ad-Moenum anno novissimi saeculi LXXXI a. d. VIII. id. Jun.; fidem confiteor evangelicam. Anno MDCCCIC Darmstadii in novo gymnasio, cuius scholae ipsius classes omnes percurri, maturitatis quod dicitur testimonium consecutus sum. Quo accepto Heidelbergam me contuli, ubi per ter senos menses studiis philologicis operam dedi; insigni benignitate Crusii et Fr. Schoellii tertio semenstri in seminarium philologorum adlectus sum. Autumno anni MCM universitatem litterarum Lipsiensem adii, ubi disputationibus seminarii me interesse sodalem extraordinarium Lipsius et Marxius benevolentissime permiserunt. Iam vero sex mensibus Lipsiae consumptis Gissas properavi, cuius universitatis sodalibus seminarii philologorum Dieterichius et Gundermannus maxima cum liberalitate me adscripserunt, cui sodalicio per quater senos menses et per sex quidem senior intereram. Docuerunt me viri doctissimi: S. Brandt, Braune, Crusius (nunc Monacensis), v. Domaszewski, v. Duhn, Erdmannsdörfer †, Cuno Fischer, Hensel, Fr. Schoell Heidelbergenses; Brugmann, Hirt, Immisch, Lipsius, Martini, Marx, Studniczka, Wachsmuth Lipsienses; Behaghel, Bethe, Dieterich (nunc Heidelbergensis), Gundermann Kornemann, (nunc Tubingenses), Sauer, Siebeck, Wuensch Gissenses.

Quibus viris egregiis cum omnibus tum Crusio, Dieterichio qui ad hanc rem tractandam animum meum vertit, Gundermanno, Wuenschio maximam habeo gratiam semperque habebo. Praecipue autem facere non possum, quin hoc loco singulares persolvam gratias Erico Bethe et Ricardo Wuensch, praeceptoribus meis carissimis, qui in hoc opusculo conficiendo consilio me adiuvare non destiterunt.